

USUS E VERSU CLXVI.

[1] *Expectanda Dei Salus cum Jacobo*, Gen. XLIX, 18. *Jobô*, c. XIX, 25. *fidelibusque aliis, etiam si differatur opinione longius*: Hab. II, 3. *vid. præc. I. de Spe.*

[2] *Opera interim danda strenuò, ut verbum non solum sciamus, sed & faciamus*: Jacob. I, 22. Matth. VII, 21. Joh. XIII, 17. 1. Joh. III, 3.

USUS E VERSU CLXVII.

[1] *De Custodiâ verbi v. 4. seqq.*

[2] *Dilectione ejusdem. v. 47. 48. &c.*

[3] *Neque tamen suffecerit Dilixisse; Diligendum enim est valdè sive vehementer, ne absque illò esse possimus unquam.*

USUS E VERSU CLXVIII.

[1] *Custodia verbi nunquam pariat fastidium, etiamsi inculcetur plus centies, nisi enim manserimus in Verbo, discipuli Christi haurerimus*: Joh. XIII, 17.

[2] *Omnes viæ nostræ, b. e. universa vivendi ratio, tam domi quam foris, tam in sacris quam profanis, examinari debent quotidie, adeo ut sint coram nobis, constetque de earum cum Verbo vel conformitate, vel dissonantiâ, sive crassâ, sive leviori, &c.*

USUS E VERSU CLXIX.

[1] *Oratio nostra sit bene composita, si eandem coram Dei facie volumus sisti, appropinquemus non labiis, sed corde*: Jes. XXIX, 13.

[2] *Sit etiam fervida; clamor enim præsupponit desiderium fere impatiens.*

[3] *De intelligentiâ Verbi calitus obtinendâ crebrò in præced.*

USUS E VERSU CLXX.

[1] *Oratio sit flebilis solamque gratiam implorans.*

[2] *Venit in Dei conspectum gratiosum non absque interventu Supremi atque unici Sacerdotis nostri*: Joh. XIV, 13. &c.

[3] *Eripimur ex angustiis tempestive, potenter, salubriter, & quidem secundum Verbum vel vigore promissionum divinarum.* Psal. XXVII, 8. L, 15.

USUS E VERSU CLXXI.

(1) *Preces excipere debent Laudes*: Psalm. L, 15. *illaque non perfunctoria vel abbreviata, sed scaturientes cum impetu &c. v. præc. II.*

(2) *Informatio in verbò petenda est calitus: nisi*

A *DEus benedixerit, frustra Paulus plantat, & Apollo rigat.* 1. Corinth. III, 6.

USUS E VERSU CLXXII.

(1) *Informationis prospera indicium, Lingua verba loquens conformiter*: *vid. Jac. III, 1. seqq.*

(2) *De Justitiâ Verbi v. 164.*

USUS E VERSU CLXXIII.

(1) *Manus Dei est, que juvare potest atque vult; modo filialiter eadem imploretur, in necessitatibus sive corporalibus, sive spiritualibus.*

(2) *De Electione portionis optime v. 30. & Luc. X, 24.*

USUS E VERSU CLXXIV.

(1) *De salutis expectatione v. vers. 166. & 81.*

(2) *De sanctissima mentis oblectatione vers. 42.*

USUS E VERSU CLXXV.

(1) *Vita nostra unice dependet à Deo vita fonte: dat vitam naturæ, gratiæ, gloriæ; datam etiam continuat, &c. vers. 17. seqq.*

(2) *Vita & præsens, & futura, occupari debet præcipue in divinâ laude*: Apoc. IV, 8. seqq.

(3) *Judicia Dei, & DEus ipse Judex, omnium juvant optime, tam in vitâ, quam in ipso vitæ fine.*

USUS E VERSU CLXXVI.

(1) *Etiam sanctissimi & devotissimi amatores Dei atque Verbi (qualis b. l. David) errores in se deprehendunt fatenturque continuos ac graves*: Psal. CXLIII, 2. CXXX, 3. Job. IX, 3. Exod. XXXIV, 7.

(2) *Ovem imitare non errantem, (Jes. LIII, 6.) sed pastoris voci semper obsequiosam*: Joh. X, 14. 27. Luc. XV, 4. Ezech. XXXIV, 16.

(3) *Desertò Pastore, pernicipi in singula momenta sumus expositi.*

(4) *Nisi DEus quærat, reverti per nos ipsos ad salutem hauri possumus* Jerem. XXXI, 18.

(5) *Modo non obliviscamur divini verbi desperatum de nobis est nondum. Semper itaque in auribus tuis Vox Pastoris sonet, eundemque suspiriò præsentem Davidicò implores constantissimè.*

(6) *Verbi ne obliviscaris tanquam regula: Jes. VIII, 19. Gal. VI, 16. alias humanis traditionibus pijs, fraudibus, aut propriis etiam carnis inventionibus, implicaberis sensim*: Prov. III, 5. Sir. XXI, 13.

PSALMI CXX. DISPOSITIO.

Libera me à calumniis. Lingua falsa.

EST hîc I. auxilii antehac impetrati commendatio: (1) *ad Jehovam* (2) *in angustiâ meâ insigni ac multiplici* (3) *clamavi*: (4) *& exaudivit me*: v. 1.

II. *Invocatio nova*: (1) *eripe me* (2) *à linguâ mendace ac dolosâ*: v. 2. (3) *rationes* (a)

innumeris eâ nos afficit malis, v. 3. (b) similibus sagittis, (c) carbonibus juniperi: v. 4 (d) *væ mihi ob commotionem inter Mesech & Kedar*: v. 5. (e) *ob diuturnam inter osores pacis detentionem*: v. 6. (f) *ob bellum mihi pacifico semper illatum*: v. 7.

PSALMUS CXX.

EXPLICATIO VERSUS I.

שיר Canticum:) inscriptionem hanc שיר primus habet Psalmus 30.

עלה המעלות graduum:) nomen מעלה (ab עלה עלה)

ascendit) significat (1) *Ascensionem v. g. è Babel. Efr. VII, 9. item* (2) *ascensionem vel cogitationis cordis, Ezech. XI, 5 vel* (3) *id, quod ascendendo fursum ducit, ut gradus scale, quomodo sex erant in thronò Salomonis, 1. Reg. X, 19. item in horo-*

ZZZZ

horo-